

LXXXIX. Secundum principia iuris naturalis Dominia ab uno in alterum non nisi per pacta seu contractus ordinarie transferuntur. *Præscriptiones* igitur et *Testamenta* suum robur legibus positivis debent.

XC. Inter contractus, qui nummo nondum invento locum habuere, familiam veluti ducit *Permutatio*: sequuntur contractus *benefici* scilicet *Donatio*, *Commodatum*, *Depositum* *Mandatum* &c.

XCI. Præcipuus, qui post inventam pecuniam locum habere potuit, contractus est *Emtio Venditio*. Quamvis in hoc pacto rei et pretii servanda sit æqualitas; reprobari tamen simpliciter non debent, *emtio sub hasta*, *per aversionem*, *emtio spei*: nec iniustitiam continent conditiones emtioni venditioni adiectæ de *Retrahendo*, *Retrovendendo*, *Redimendo*. Venditor tamen ad præstandam evictionem naturaliter obligatur. — Alter qui huc referri potest contractus, *Locatio Conductio* vocatur: *Locatoris* et *Conductoris* officia dabimus quæsi.